

hominum ad talem finem antecedit prædestinationem, et non sit effectus ejus, sed causa, non tamen probat, quod executio, seu assecutio finis non sit effectus ejus. Et quando dicitur quod non est medium ad consequendum, nec beneficium præparatum a Deo ad consecutionem finis, concedo non esse medium ad consecutionem, sed terminum qui est ipsa consecutio: sed negamus non esse effectum prædestinationis, quia media non sunt effectus prædestinationis abstrahendo a consecutione, sed concernendo assecutionem, et terminando ad ipsam, quia ad hoc diriguntur media, ut consequatur finis, et usque ad realem terminationem ad finem non desinunt esse effectus prædestinationis simul cum ipsa consecutione: hæc enim præcipue efficitur, et intenditur.

Ad secundum respondetur, quod glorificatio est principalis effectus prædestinationis, et qui prædestinatos a reprobis distinguit, sed non solus: nam alii effectus sunt qui ad glorificationem tendunt, ipsamque consequuntur efficaciter, ut vocatio, justificatio, opera bona, etc. et licet hæc possint in reprobis inveniri, non tamen eo modo quo in prædestinatis, quia in his inveniuntur cum ordinatione efficaci, et perseverantia usque ad consecutionem gloriæ in reprobis sine illa, unde non eodem modo se habent.

ARTICULUS III.

An vocatio inefficax, et gratia interrupta per peccatum sint effectus prædestinationis?

I. Hoc solum restat explicandum in effectibus ipsis supernaturalibus, quia cum sæpe gratia data interrumpatur, et pleraque auxilia ef-

fectu frustrentur, non apparet an ista, prout sic, sint effectus prædestinationis, qua est efficax transmissio ad vitam æternam. Unde nihil quod est inefficax, nihil quod est mortuum, videtur effectus illius esse, et ex ipsa, ut efficax est, descendere.

Gratia ergo interrupta per peccatum potest dupliciter considerari. Primo, ut in suo prima illa collatione, quando primo a Deo data est, et prævidebatur interrumpenda. Secundo, in statu ipso interruptionis, quæ est gratia prout deletur per peccatum. Tertio, in statu reparationis, ut per pœnitentiam reviviscit. Et rursus tam in statu suæ primæ collationis, quam reparationis potest considerari, vel absolute secundum se, vel cum respectu, et continuabilitate ad perseverantiam, mediante qua continuatur cum gloria. Si consideretur gratia ut reparata per pœnitentiam, sic non est dubium quod sit effectus prædestinationis, antecedens enim interruptio non nocet subsequente reparatione: sic enim est perinde, ac si non interrumpatur. Quod si rursus post reparationem quis peccet, et amittatur gratia, rursus se habebit ut interrupta, et non reparata; et sic rursus considerabitur vel in statu interruptionis, vel in statu reparationis postea faciendæ, quia etiam illa interrupta rursus reparabilis est; et sic procedemus quousque vel sistamus in ultima reparatione non amplius interrumpenda, et hæc habet adjunctam perseverantiam, vel sistamus in ultima interruptione non amplius reparanda, et hæc habet adjunctam finalem impœnitentiam. Quare formaliter loquendo de gratia, ut reparata sub hac formalitate, effectus est prædestinationis, nisi ab hac formalitate deficiat per novam interruptionem, quod est jam non manere ut reparatam. Si-

militer est certum, quod gratia sub statu interruptionis actualis, non est effectus prædestinationis, sed defectus ab ipsa: sic enim non est gratia, sed corruptio gratiæ, seu interruptio ipsius, et defectus. Peccatum autem, et effectus peccati, qui est tollere gratiam, non est a Deo: ergo multo minus ab ejus speciali providentia, quæ est prædestinatio. De permissione quidem peccati opiniones variæ sunt, an sit effectus prædestinationis, de ipso vero peccato, et effectu ejus, qui est corruptio, seu interruptio gratiæ non est dubium quod effectus prædestinationis non sit, cum a Deo non sit, sed deficientia a Deo.

II. Quare punctus difficultatis est de ipsa gratia quæ interruptioni subjecta fuit, si consideretur non ut subest interruptioni actuali, quæ est defectus, et corruptio gratiæ per peccatum, sed considerata secundum se, et ut primo collata est a Deo ante interruptionem, an sub hoc statu, et consideratione sit effectus prædestinationis. Et si est necessarium quod consideretur cum ordine ad perseverantiam, vel etiam præcindendo ab illa, ut sit effectus prædestinationis.

Similiter inefficax vocatio potest dupliciter considerari. Primo, secundum entitatem suam, et id quod habet a Deo, quod pertinet ad rationem sufficientiam auxilii. Secundo, quantum ad resistantiam voluntatis adjunctam, quam non superat illud auxilium; et sic inefficax est, quia caret auxilio efficaci, et consequenter habet adjunctam voluntatis resistantiam. Hoc secundo modo non est effectus prædestinationis pro parte resistantiæ voluntatis: hæc enim pertinet ad obdurationem ejus, quæ non est a Deo effective, sed solum permissive non largiendo gratiam. Pro parte vero denegationis auxilii efficaci, hoc pertinet ad per-

missionem divinam, quæ consistit in degeneratione auxilii efficaci, et de hac dicemus infra an sit effectus prædestinationis, et quomodo. De ipsa ergo vocatione inefficaci quantum ad ipsam substantiam et entitatem, quatenus talis est, difficultas procedit, an sit effectus prædestinationis. Et dato quod sit, an per se immediate sit effectus prædestinationis, an mediante alio auxilio efficaci, quo illa inefficax in memoriam reducitur, sic effectus prædestinationis reddatur.

III. In hoc puncto p. Vasquez sentit neque vocationem inefficacem secundum se, neque gratiam, seu sanctificationem interruptam esse effectum prædestinationis. Ita de inefficacibus vocationibus docet i p. disp. xciii, c. i et iii. Et illum sequuntur plures ex recentioribus, Valentia i p. disp. ii, q. xxiii, puncto iii; Villegas contr. xvi, disp. i, c. ii et alii. De gratia justificante idem affirmat eadem disputatione xcm, c. iii et de meritis primo collatis; licet non desint auctores qui distinguunt inter gratiam primo collatam ex opere operato, vel ex meritis, quod primam non ponunt effectum prædestinationis, sed secundam, eo quod merita semel facta semper eadem numero manent in acceptatione Dei, quantumvis per peccatum impediuntur. Quare illa merita semper dantur a Deo ex intentione, et ordine ad gloriam, quantum est ex vi suæ dignitatis, quia cuicumque merito semper correspondet sua gloria independentem a pœnitentia, vel ab alia gratia, v. g. merita ut duo semper connexionem habent cum gloria ut duo, independentem ab alia gratia, vel pœnitentia, quæ non dignificat illa merita, sed si sint impedita, solum removet impedimentum. Quod vero exigant pro conditione quod aliquis moriatur in gratia, ut obtineat glo-

riam, est conditio generalis omnium meritorum.

IV. Sententiam Vasquez ita explicat, et intelligit p. Alarcon, tract. iv de prædestinatione, disp. iv, c. iii, quod quando dicitur merita ut primo collata, et gratiam non esse effectum prædestinationis, intelligit cum præcisione, scilicet merita illa prout præscindunt a perseverantia, et intelliguntur sic primo collata, quod nondum conjuncta cum ultimo effectu, qui est perseverantia. Et in hoc, inquit, pari fortuna currunt gratia interrupta, vel non interrupta: utraque enim ut primo collata præcise, et nondum continuata cum perseverantia non est effectus formaliter loquendo prædestinationis, quia adhuc non distinguit a reprobo, cum etiam reprobis habere possit primam gratiam, sed non ultimam. Si autem prima gratia, aut gratia interrupta sumatur specificative prout re ipsa, conducit ad gloriam, sic est effectus prædestinationis. Addit quod in opinione eorum qui dicunt intentionem efficacem dandi gloriam, seu electionem efficacem præcedere prædestinationem, revera debere consequenter dici, quod prima gratia, et prima merita sunt effectus prædestinationis, quia ut procedunt ab illa efficaci intentione, jam infallibiliter ordinantur, et influunt in gloriam, et sunt propria prædestinatorum. In quo optime dicit hic auctor, et hoc ipsum corroborat nostra sententiam supra late explicatam de præcedentia electionis efficaci ante prædestinationem, id est, ante præparata merita. Et insinuat fundamentum suæ sententiæ, et p. Vasquez reducit ad hoc quod gratia, et merita prout primo collata, et ante suam interruptionem sunt effectus communes reprobis, et prædestinatis, non prædestinatorum proprii ut prædestinati sunt: nam prout sic nondum

intelliguntur coordinata cum ultima perseverantia, et ex alia parte non supponuntur procedentia ab efficaci, et infallibili voluntate dandi gloriam, quia hanc intentionem hæc sententia non admittit: ergo prout sic nondum intelliguntur esse effectus prædestinationis, quousque connotent ordinem ad ultimum effectum perseverantiæ. Et ita in hac sententia prædestinatio non est unica voluntas Dei, sed omnes voluntates dandi media ordinata ad gloriam cum colligatione, et continuatione usque ad ultimum effectum perseverantiæ, sine cujus respectu, et connotatione, reliquæ non denominantur voluntates prædestinativæ.

V. Nihilominus cum apud nos oppositum fundamentum sit supra satis stabilitum, scilicet quod præcedit in Deo prædestinationem meritorum efficax intentio dandi gloriam, indubitanter debemus dicere, quod in prædestinato vocationes inefficaces, et gratia interrupta etiam ut primo collata, sunt effectus prædestinationis. Dixi consulto in prædestinatione, quia gratia ista, et vocationes, seu auxilia non decernuntur a Deo in abstracto, et antecederent ad prævisionem personæ, sed concernendo ipsam. Et cum concernunt personam prædestinatam, seu electam a Deo electione illa efficaci, et intentiva, qua segregat eos a massa perditionis, quia sic placuit illi, omnia dona, et beneficia gratiæ, quæ ex illa voluntate circa talem personam derivantur pro effectibus prædestinationis computanda sunt: quæ enim dantur personæ reprobæ, et non electæ, licet sint dona supernaturalia, effectus prædestinationis non sunt. Hæc sententia est communis inter Thomistas, de quo videri potest m. Gonzalez hic disp. LXXI, sect. iii. Eam docet p. Suarez lib. iii de prædestinatione, c. iv et

vi; Arrubal. disp. LXXXIII; Herice disp. xxx, c. ii, et quoad gratiam interruptam etiam eam docet Villegas ubi supra, licet quoad vocationes inefficaces subscribat p. Vasquez. Sumitur etiam ex D. Thoma, tum in epistolam ad Rom. c. viii, lect. vi, ubi explicans quomodo electis omnia cooperentur in bonum, id docet verificari de omnibus quæ accidunt prædestinatis, idque etiam extendit ad gratiam amissam per peccatum; tum etiam iii p. q. LXXXIX, art. ii ad i, ubi inquit quod: « Non omnibus diligentibus Deum cooperatur in bonum hoc ipsum quod per peccatum a Dei amore cadunt, quod patet in his qui cadunt, et nunquam resurgunt, vel qui resurgunt iterum casuri: sed his tantum qui secundum propositum vocati sunt sancti, id est, prædestinatis, qui quotiescumque cadunt, finaliter tamen resurgunt. » Ubi s. doctor aperte ponit fundamentum nostræ sententiæ, quomodo scilicet interrupta gratia serviat prædestinatis, et cooperetur illis in bonum, sitque effectus prædestinationis, quia scilicet procedit ex proposito Dei, quo vocati sunt prædestinati, quod est aliud quam intentio illa efficax, ex qua sunt electi, ut jam explicavimus.

VI. Fundamentum igitur nostræ assertionis, licet nostris principiis suppositis videatur concludens, scilicet supponendo quod intentio efficax, et electio ad gloriam præcedit prædestinationem, seu merita præparata, et prævisa, tamen non ita facile oppositam sententiam coarctat. Nam ex duplici principio potest deduci. Primo, quod gratia interrupta, et vocatio inefficax, aliquem effectum sive essentialis, sive accidentalis præmii in cælo habere potest, dummodo ultimate aliquis decedat in gratia: hoc enim se habet ut generalis conditio omnis meriti, licet non se habeat ut ratio formalis

ad præmium, sed per se semper correspondet sibi ratione sui præmium aliquod. Secundo, potest deduci ex eo quod procedit vocatio inefficax, et gratia interrupta in prædestinato ex intentione efficaci dandi illi gloriam, quidquid autem procedit ex tali fine, oportet quod aliquem respectum efficaci ordinationis ad gloriam induat, alias non causaretur ex voluntate efficaci dandi gloriam.

Cæterum Vasquez non multum constringetur his fundamentis, nisi amplius explicentur. Nam hoc secundum principium ipse non admittit, scilicet quod præcedat prædestinationem meritorum electio efficax personæ ad gloriam. Et dato quod præcedat, dicit ipse quod præcedit respectu eorum effectuum, qui sunt in statu habili, ut intentioni efficaci deserviant per se. Qui autem non persequuntur ad consecutionem finis, sed deficiunt, et dejiciuntur ab illo, non a tali efficaci intentione procedunt, etiam in prædestinatis, sed a generali, et communi providentia, qualis etiam est erga plures reprobos, quibus et gratia interrupta datur, et beneficia communia, seu inefficacia non negantur. Primum vero fundamentum non multum videtur constringere, quia Vasquez non negat gratiam illam absolute, et in se posse esse effectum prædestinationis, subjiciendo scilicet, et continuando illam reparationi, et perseverantiæ. Non esse autem effectum prædestinationis prout subest alii formalitati, scilicet prout antecedit, et præscindit a tali perseverantia, et non concernit illam, inconveniens non est; sic enim consideratur in sui prima collatione, ut præcise est prima, et sub hac formalitate non est a prædestinatione ut causante, sed a generali providentia in genere supernaturali. Semper autem difficile convin-

citur sententia, quæ reducit punctum controversiæ ad formalitates.

VII. Dicendum nihilominus est, quod tam in nostris principiis, quam in principiis oppositæ sententiæ, si recte explicentur gratia interrupta, et vocatio inefficax etiam ut primo collatæ, effectus prædestinationis, non tamen præscindendo ab ordine et respectu ad perseverantiam, et gratiam finalem, quia sine isto respectu et connexionem, seu ordine ad illam, nihil est effectus prædestinationis. Et hoc est nostrum intentum, quod gratia illa jam in sua prima collatione induat istum respectum hoc ipso quod datur prædestinato, et similiter vocatio inefficax, non vero solum induat illum postquam interruptio facta est, reparatio facta, in quo recedimus a sententia Vazquez, sed quod in primasua egressione a Deo jam egrediatur cum illo respectu, et ordine, ratione cujus ad effectus prædestinationis pertinet et inter illos numeratur.

Ratio est, quia de facto modo nulla gratia auxilium datur, quod vel non sit pro prædestinatis, vel pro reprobis, quia omnes homines vel salvantur, vel condemnantur; et in his qui reprobantur nullum est dubium, quod non sit effectus prædestinationis in illis. In his autem qui prædestinantur nulla gratia etiam interrupta, et nullum auxilium etiam inefficax est quod secundum se ita perdat, et evacuetur, ut omni effectu et ordine ad gloriam prædestinati careat, cum constet ex Scriptura omnia prædestinatis cooperari in bonum, ad Rom. VIII, non cooperarentur omnia, si isti effectus gratiæ totaliter evacuarentur: constat etiam gratiam, et merita interrupta redire per sequentem reparationem, ut ex illo ad Hebr. VI: *Non enim injustus Deus ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis*

in nomine ipsius, deducunt, et admittunt communiter theologi in materia de poenitentia. Et certum est, quod gratia quæ interrumpitur in prædestinatis, reparatur, alias prædestinati non essent, si semel cadentes non repararentur. Hæc omnia certa sunt, nec Vazquez, et ejus sequaces negant, admittentes quod gratia illa secundum se, prout continuata ipsi perseverantiæ, et reparata, est effectus prædestinationis, non prout in prima sui collatione data. Infero ex his principiis: Ergo etiam in prima sui collatione illa gratia interrumpenda, vel illa vocatio inefficax habet hunc ordinem, et respectum ad ultimam reparationem, nec a tali ordine præscindit: ergo etiam in prima sui collatione est effectus prædestinationis. Hæc secunda consequentia est manifesta, quia ut habet illum respectum, et coordinationem conducit ad proprium effectum prædestinationis, qui est ultima perseverantia, et assecutio gloriæ, et cum illo connectitur: ergo pertinet ad ipsam prædestinationem prout sic connectitur, quia talis connectio non reperitur in gratia, quæ datur reprobo: solum ergo est propria prædestinatorum. Prima vero consequentia probatur, quia talis gratia in sui prima collatione non datur ut abstrahens a respectibus, et connexionem cum aliis effectibus, si quidem in re, et in isto homine prædestinato connectitur cum aliis effectibus, et coordinatur cum illis, ita quod ex omnibus fit una integra via, et dispositio hominis ad gloriam, ut ad finem ultimum: ergo cum illis respectibus, et coordinatione produciuntur in re etiam quando primo produciuntur. Patet consequentia, quia illa prima gratia, etiam in sui prima collatione, et illa vocatio inefficax de facto produciunt, cum respectu, et coordinatione ad aliquem finem: nam revera se habent ut media, et ut via

ad finem, media autem, et via ab aliquo primo medio, et ab aliquo primo principio viæ incipere debent. In illa ergo prima collatione gratiæ incipit via ad aliquem finem et primum medium ad illum et consequenter quando primo produciuntur cum respectu, et ordine ad talem finem produciuntur, quia ut initium viæ, et medium ad talem finem produciuntur. Sed in isto homine prædestinato, quando de facto consequitur gloriam, omnes illi effectus, et tota illa gratia a principio usque ad finem habet connexionem actu, et de facto cum tali fine assecuto: ergo quando primo conferebatur, jam habebat ordinem ad talem finem ut assequibilem per talia media, et per talem gratiam, quia cum illo fine cum quo connectitur, et coordinatur aliquod medium, et via, tamquam cum fine, quando est assecutus, cum eodem coordinatur, et connectitur a principio tamquam cum assequibili, si quidem a principio datur ut initium viæ, et tendentiæ ad illum finem, et ut medium unde incipit, vel quod ad illum conducit, ut postea in ipso effectu patet, quia cum assequitur ipse finis, de facto illa gratia, et illa vocatio inefficax cum tali fine assecuto in gloria connectitur, nec hoc negat Vasquez, nec potest negare quod ita sit in re, cum de facto coronetur illa gratia in cælo, et omnia cooperentur ipsi prædestinato in bonum etiam inefficaces vocationes saltem pro accidentalibus gaudiis: ergo si ista omnia quando a principio dantur, respiciunt per modum viæ illum eundem finem, quem in re postea assequuntur, et cum quo coronantur, et glorificantur a principio: ergo cum tali ordine, et respectu produciuntur, et consequenter jam habent quomodo pertineant ad prædestinationem, et sint effectus illius etiam a prima sui collatione,

quia jam habent in se coordinationem, et respectum ad gloriam, et ad ultimam perseverantiam, quæ est conditio requisita ut aliquid sit effectus prædestinationis.

VIII. Et hinc probatur conclusio a fortiori in nostra sententia, et secundum nostra principia, quia Deus antequam det primam gratiam, et primam vocationem, etiam inefficacem, supponit personam illam cui dat ista dona, esse efficaciter electam, si quidem electio fit ante prævisa merita, ut supra late probatum est: ergo omnes effectus gratiæ qui ponuntur, et dantur isti personæ, procedunt ex illo fine gloriæ efficaciter intento, et subjiciuntur illi: ergo respiciunt illum ut causam finalem, et sub respectu ad illum dantur, sed quidquid datur ut respiciens efficaciter gloriam, et ad illam tendens, est effectus prædestinationis, quia effectus prædestinationis sunt media præparata ad gloriam efficaciter: ergo omnia ista quæ ex tali electione efficaci procedunt, effectus prædestinationis sunt. Patet consequentia, quia omnia quæ procedunt ex tali electione efficaci, et habent illam pro causa finali, ordinantur efficaciter ad illam, et conducunt ad illam: ergo præparantur ad illam, et consequenter sunt effectus prædestinationis, id est, præparationis ad gloriam.

Denique, probatur eadem sententia quoad utramque partem, non solum supponendo quod procedunt ex efficaci electione ad gloriam tamquam ex fine efficaciter influente; nec solum quia a principio gratia collata; et si interrumpenda datur ut via, seu initium viæ ad tenendum usque ad ultimam assecutionem gloriæ; sed etiam assignando eis aliquid quod in gloria tali gratiæ interruptæ, et tali vocationi inefficaci correspondet: nam si aliquid in gloria datur intuitu illorum, vio-